

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV**

**Weidenfeld, Johann S.**

**Londini, 1684**

56. Menstruum incalcinatum Parisini

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

*Spiritu, vel menſtruo aliquo vegetabili, ſine quibus confici non poteſt, ) digere hæc per menſem, & extractionem habebis cœleſtem potiùs, quàm terreſtrem; Extractionem abſtrahe in balneo, & phlegmate abſtracto remanebit oleum in fundo ponderoſum, diſſolvens omnia metalla in momento. Cui adde ſpiritus vini ( phil. vel ſpiritu vini igneum Baſilii ) partes tres, circula in pellicano ad rubedinem ſanguineam, & dulcedinem incomparabilem. Circulatum affunde ſuper tartarum ad albedinem calcinatum, & deſtilla forti igne mercurii ſpiritu, ſpiritu vini remanente in tartaro.*

*Inter hunc ſpiritu; aliumve ejuſdem nominis diſtinguendum eſt, ne unus pro alio accipiatur. Baſilius enim præparavit etiam ſpiritu mercurii ex ſpiritu albo vitrioli, de quo variis in locis, libro de particularibus, præſertim in particulari lunæ, cujus ſpiritus deſcriptio extat inferiùs inter menſtrua mineralia, quia acidus eſt. Alter verò ſpiritu mercurii, utpote hic noſter, dulciſſimus eſt & fragantiſſimus, de quo etiam habetis in particulari lunæ, ut & cap. VII. libri de Rebus Nat. & ſupernat. ubi lunæ crocum diſſolvit in ſpiritu albo vitrioli, ut & fragantiſſimo ſpiritu mercurii.*

*Parifinus composuit menſtruum mercuriale compositum pro tincturis alchymicis ex ſuo circulato majore & prima vel media ſubſtantia argenti vivi vulgi hoc modo.*

## 56. Menſtruum incalcinatum Parifini,

*Cap. G. Apertorii.*

*Re. Circulati majoris ( ſuperiùs ſub No. 50. deſcripti ) libram unam, mercurii præparati, modo quem docebimus cap. X. uncias duas, miſce, & ſcias menſtruo hoc fieri veram putrefactionem. Verum quam-primùm fuerit incalcinatum, hoc eſt, tali mercurio permixtum, non ampliùs uſurpatur pro corporibus humanis, ſed ſolummodò pro medicinis metallorum, dictum verò cap. X. hoc eſt, ut ſequitur:*

*Cap.*

Cap. X. de reductione mercurii vulgi in primam materiam vel mediam substantiam.

**N**unc fili dabimus tibi plenariam instructionem & declarationem decoquendi & reducendi argentum vivum vulgi in suam materiam primam vel substantiam mediam, & quemadmodum in antecedentibus declaravimus modum reincrudandi duo luminaria; ita jam demonstrabimus vias & media decoquendi dictum mercurium. Primò docebimus modum, distinguendi bonum mercurium à malo, sophisticato & corrupto: Qui modus est, ut recipias mercurium vulgi, asportatum ex Hispania in coriis sigillatis, vel si careas hoc, recipe alium quemcunque, & parùm ejus pone in cochleari argenteo calefacto, ita ut mercurius evanescat, & si residuum ejus erit vel albi vel citrini coloris, bonus est; sed si erit alterius coloris, malus est, & minimè idoneus pro opere nostro, quia sophisticatus. Tum recipe vitrioli romani libras duas, funde istud in vase vitreato, fuso adde mercurii libram unam, & tantum salis com. præparati, agita & misce omnia agitaculo, evaporando humiditatem sub tali calore, qui similis sit solari. Tum eximatur materia, teratur & ponatur in sublimatorio, & mercurium sublimabis per gradus ignis usuales. Vasis frige factis exime sublimatum, cui in retorta posito affunde aquæ vegetabilis absque phlegmate (*aquæ vitæ phil. rectificatæ*) ad tres vel quatuor digitos. Coquatur in balneo per duas horas, tum destilletur in cineribus, ut ascendat aqua vegetabilis. Postea cooperiatur retorta cineribus, & augmentando ignem ascendet mercurius vivus in aquam ardentem. Decanta aquam à mercurio, quem iterum sublimabis cum novis materiis, idque sexies, semper abjiciendo fæces. Nota autem has septem sublimationes semper peragendas esse in aludelibus, quoniam nullo alio modo separabis pulverem adustibilem ascendentem in aludelibus, & ut te instruam, ne quid erres, repetam magis distinctè methodum dictarum septem sublimationum. Modus hic est, ut accipias vas vitreum ad modum cucurbitæ strictioris, cum suo alembico cæco, perforato in ejus superiori parte, in hoc ponas vitrioli optimè pulverisati partes duas,

mercurii partem unam & salis præparati partem unam, miscendo omnia bene, materiã leniter jam exsiccatã, appone alembicum cæcum vel potius aludel, notetur tamen, quod cucurbita non sit cooperta cineribus ultra unam tertiam evaporatã humiditate; per calorem lenem; occlude foramen aludelis cum pauco gossypio, & augmentando sublima, omnibus frigefactis exime sublimatũ tam ex aludele quam cucurbitã, ex quã (*si modo non fuerit frigefacta*) dissolve feces aquã calidã, ita purgabis facile dictum vitrum pro usu suo. Jam misce novas materias cum sublimato rão, & sublima, ut antea, & hoc repete septies. Tum sublimatum contere in pulverem subtilissimum, pone in cucurbitã supradictã cum suo alembico cæco vel aludele, & cum suo etiam alembico communi ob rationes operationis differentis à superiori. Sublimato in cucurbita posito affunde menstrui simplicis animalis vel vegetabilis (*menstrui animalis sub No. 37. vel vegetabilis sub No. 29. descripti; in antecedentibus autem aquam vegetabilem rectificatam, id est, aquam ardentem recipere jussit*) tantum, ut emineat per tres digitos, occlude alembico cæco, & in cineribus digere per 12 horas, tum deposito alembico cæco appone alembicum commune, & abstrahe menstruum in balneo, deponere iterum alembicum, & apposito aludele, pone vas in cineribus eousque, ut tegatur materia existens in vitro, da ignem per gradus donec omnis humiditas sit exhalata, foramen in superiori parte aludelis gossypio occlude, augmenta ignem, ut sublimetur mercurius. Sublimatione peractã & vasibus frigefactis, deme aludel, & quod in eo invenies sublimatum non est ad propositum nostrum, siquidem istud est pars illa adusta, quæ non intrat magisterium nostrum. Deinde collige sublimatum ad latera cucurbitæ quod clarum erit instar cristalli, & cave ne permisceatur cum suis sæcibus; hoc contere, cribra, pone in eodem vase à sæcibus purgato, & affunde menstruum in balneo abstractum, claude vitrum cum aludele, digere per 12 horas ut supra, deponere aludel, appone alembicum commune, destilla in balneo, deposito alembico hoc, appone aludel & sublima in cineribus, sæcibus abjectis, ut & parte adustiva ex aludele, collige dextrè mediam substantiam ex cucurbita. Hæc methodo sublimabis septies, vel donec nullas relinquat sæces in cucurbita. Habito hoc signo, accipe dictam substantiam, contere,

contere, & pone in vase vitreo, affunde menstruum simplex vel animale vel vegetabile ad trium digitorum supereminentiam, claude vas cum alembico caeco, digere leniter per duos dies in cineribus, tum dissolutionem decanta in aliud vas, & quod remanserit in vase, exsicca temperato calore, simili solari, cui affunde novum menstruum, claudendo vas alembico caeco ut supra, & reitera methodum eandem usque tota pars dissolubilis fuerit dissoluta, & in fundo vitri remanebit terra indissolubilis abjicienda, quia nullius valoris est. Jam recipe omne dissolutum, hoc est, decantationes vestras, & pone ad destillandum in balneo, & destillato menstruo, appone aludel & in cineribus sublima substantiam cristallinam, quæ verè dici potest prima materia mercurii; Hæc est illa substantia media, quâ incalcinamus menstruum nostrum (*circulatum majus sub No. 50. descriptum*) & componimus particularia infinita, uti te docuimus superius. Hæc etiam vocatur lapis mineralis. Nunc fili poteris procedere per infinitas vias, has tamen insequendo, quas tibi monstravi; & nota, Mercurium ita reductum, esse hunc, de quo Dux noster Raymundus loquitur, mentionem faciens de lapide minerali, ut & in *ultimo capitulo libri Vade-mecum & in pluribus aliis locis voluminum suorum*. Hic est iste mercurius de quo Arnoldus de Villa Nova tractat in *Rosario suo*, & tibi enarramus, nisi mercurius reductus fuerit in materiam primam cum dicta aqua vegetabili vel animali, penitus impossibile esse, cum eo præstare aliquid boni, ratione suæ corruptionis magnæ, existentis in ejus cruditate.

Ex Receptis hujus generis annotamus,

1. Menstrua posse & debere confici juxtà usus destinatos. Nam non solummodò desiderantur, ut dissolvant corpora promiscuè, sed aptè etiam, ne rei dissolvendæ tincturam inquinent heterogeneâ aliquâ menstrui ipsius tincturâ, sed potius illustrent.
2. Menstrua hæc, semel composita, si novo addito subjecto repetatur compositio, quoties toties majori virtute dotari, ubi è contrario notum est, menstrua communia hoc modo debilitari.
3. Menstrua hæc esse fragrantissima, summæque dulcedinis & ruber.

rubedinis, nihilominus dici acetum acerrimum, quod aurum dissolvat in spiritum.

4. Menstrua hæc esse metallorum essentias vel magisteria per magisteria vel essentias confecta, invicemque permixta in circulata composita.

5. Non ex auro & argento tantum sed etiam ex imperfectis metallis & mineralibus hæc confici posse circulata composita.

6. Quemadmodum sal harmoniacum ex perlis: Ita etiam ex coralliis aliisque aridis confici posse.

7. Parisini primam mercurii materiam, essentiam potius esse, quam magisterium, citius quidem præparari sale harmoniaco mercuriali Lullii, at non esse ejusdem, sed minoris virtutis.

8. Parisinum defendere Arnoldum de Villa Nova in sua mercurii sublimatione, (descriptâ in Rosario,) contra collegam suum Bernhardum.

9. Hanc Parisini primam materiam mercurii venenosam esse, quare pro metallis tantum, non pro medicinis humanis eam esse adhibendam monet ipse. Si tamen menstruum hoc incalcinatum, more reliquorum circuletur, fieri innocuum, & medicamentum optimum.

XI. Genus.